



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 100. Cæsaribus ad Joannem Hussum Oratores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. C.

*Imperatoris ad Joannem Hussum
Oratores.*

*Vander
Hardt to. 4.
p. 386.*

Die V. Julii Imperator ad Hussum misit quatuor Episcopos unacum Wenceslao de Duba, & Joanne Clumæo, qui ex illo sciscitarentur, utrum Articulos pro suis agnitos retractare, eosque, quos suos esse negaret, se non tenere, jurato asseverare velit? Quibus respondit, se suæ declarationi jam prima die Julii exhibitæ inhæsurum. Ergo e carcere trahitur Commissariis sistendus; in via cum Joanne Clumæo collocutus est, qui eundem monebat, ne, si cujusdam erroris conscius esset, retractare erubesceret, sin vero, potius omnia tormentorum genera sustineret, quam quicquam contra propriam suam conscientiam assereret, aut aliquid contra agnitam veritatem negaret. Ad quem Joannes Hussus dixit, se ex animo ac cum juramento retractare paratum esse, quamprimum ex sacris literis alicujus erroris convinci posset. Fere idem paulo post respondit, Prælati ipsam adhortantibus, ne privatas suas opiniones totius alicujus Concilii judicio anteferet. Verum cum ejus pertinacia frangi non posset, usque ad perendinum diem ad carceres reductus fuit.

§. CI.